

DECANI FACULTATIS MEDICÆ

JO. HADRIANI SLEVOGTII, D.

ANAT. CHIR. ET BOTAN. P. P.

MED. DVC. PROVINC.

PROLVSIO INAVGVRALIS

QVA OSTENDITVR

*quam honeste Medici fumos
vendere soleant.*

GENÆ

LITERIS KREBSIANIS.

17. β.





Vno pereat, qui fumos vendidit. Fuit hæc gravis non minus, quam ingeniosa Alexandri Imperatoris sententia. adversus illos pronunciata, qui imperitos & incautos homines subdolis artificibus circumveniunt, & vana spe lætatos tandem fallunt, nubemque pro Junone obrudunt. Ortum inde est ignominiosum Alchymistarum cognomen, quod *Fumivenduli* appellentur; postquam haud exigua eorum pars speciosis pollicitationibus avararum animarum credulitati illudere consuevit, donec ipsos nummis bonisque omnibus probe emunctas, ad duram egestatem redegerit. Sit igitur *fumos vendere* dedecus atque opprobrium, sed hujus tantum & similis farina impostoribus; sit *fumos* a talibus *emere* infantilis simplicitatis argumentum: nobis in præsentia longe aliam *fumi mercaturam* in medium producere animus est, *medicam* pura, quæ & laudi ducitur venditori, & medicamenti salutaris evadit, artisque Machaoniæ cultoribus a natura ipsa, sagacissimo morborum *larva* monstrata est.

Quippe cum nec uni medicamento omnes morbi cedant, nec eadem forma omnibus ardeat sufficiatque, & præter interna remedia, Spiritus v. g. Elixiria, Essentias, Tincturas, Magisteria, idque genus centum alia, sæpenumero etiam externa in usum vocare deceat & inter hæc non tantum Frictiones, Ligaturæ, Flagellationes, Balnea, Fotus, Vaporations, sed Fumigationes etiam, quas medici *Suffitus* vocant, insignem operationem edant; hinc patet, quam honesta res sit *Fumi Venditio*, quando Medici pro tempestitiva suffituum administratione justum consiliorum atque laborum præmium postulant, & quam lucrative fiat ægris *Fumi Emisio*, quando semet manifesto inde solatio affici intelligunt.

Nititur autem consuetudo ægros suffiendi non solum autoritate Hippocratis, Galeni & reliquorum Arabum Latinorumque Medicorum, sed hodie quoque in magno pretio versatur apud eos, qui lege artis applicati medicamento vires decenter æstimare norunt. *Accedit enim, autore M.A. Severino, pyrot. lib. 1. part. 3. c. 35. pag. 178. proxime ad naturam ignis, cujus tenuis & liquida substantia subtilissime quaslibet aliorum corporum partes afficit, & immutat, estque precipua ejus proprietas, quod non tantum calefacit exsiccetque, ignis dimanatione continua, sed etiam accensorum corporum medicas virtutes secum ducit, explicat & communicat. Deinde intimius se hoc modo insinuant effluvia, ut etiam corpus sæmine pene, trent, subter subditæ, si ea ad conceptum disposita fuerit. Hipp. s. 5. Aph. 59.* Cumque sæpius talismodi ægroti occurrant, apud quos in universum nulla internorum assumptio locum invenit, dum vel ob denegatum sensuum usum, vel *Nauseam*, vel denique ob pravam oris collicque constitutionem iisdem frui nequeunt, ipsa

ipsa sic jubente necessitate, tutissime ad odoramenta & medicatos fumos confugere possumus, quorum utilitas uti amplissima existit, ita tamen activitatem suam maximam comparatam habet, ut ad statum ægri & Medici intentionem regi, certisque limitibus circumscribi queat.

Plurimum autem refert vias ad partem affectam qua ratione fumi excitentur, & per quas deriventur. Sicut enim alia suffimenta in apertum ignem nudasque prunas conjiciuntur, cum scilicet nihil interest, an multæ exhalationum particule frustra per auras dispergantur; aut ubi non tantum externum corporis ambitum, eiusque unam vel alteram partem, sed interiora etiam ab iis affici volumus: ita contra ea si fumus magis concentratus versus hanc vel illam regionem dirigi debet, aut materia suffimigiæ pretiosior existit, tunc varia ab artificibus excogitata extant organa, quibus pro diverso partium corporis situ, peculiaris quoque conformatio obtrigit.

Quod attinet apertas fumigationes, censetur earum usus tunc maxime necessarius, cum venenum pestilens ipsam atmosphæram ambientem inquinavit, ut, unde vitalis flammæ pabulum haurire debebamus, tristem interitus nostri materiam trahamus. Hanc enim emendaturi domus non solum nostras & plateas continuis suffimigiis fere obnubilamus, sed vestes etiam & literas, contagii pessiferi suspectas, per lultrales fumos innocentes reddere conamur. Divinos itaque Hippocratis honores & immortalem nominis famam adeptus est, quod potiorum Græciæ partem a dirissima peste liberaturus, per flammam, ex accensa sylva relucentem, multoque magis per fumum latissime dispersum, & ad loca, ab igne longe remotissima, sese diffundentem, accerrimam corrupti aeris virulentiam feliciter compefcuit.

Particularium & clausuram ex parte fumigationum exemplar præbet vulgata nicotianæ fumi succio, quam vel antiquissimo Æthiopum Indorumque more, per rectas fistulas, vel ex Persarum inventionem, per tubulos in multos gyros circumvolutos, aut vitro rostrato, ultra dimidium aqua aliqua odorata pleno, insertos, institui notissimum est. Ad nares, uterum anumque canales recti, ad aures vero & fauces retorti magis requiruntur, quorum figuras apud Severinum, Sculetum aliosque chirurgicorum instrumentorum delineatores cernere licet.

Materia suffituum, ut ex dictis concludere facile est, non una, sed longe diversissima existit, cum non solum, monente Severino, ex ignea natura corporibus, sulphure scilicet, sandaraca, arsenico, & hoc genus, sed etiam, que præter aquam & aquæ sunt, omnibus edantur. Selectu tamen omnino opus est, cum igni tradita concreta alia sulphureum potius, alia mercurialem, alia salinum, eum.

eumque modo acidum, modo alcalinum fumum eruent. Hinc sicut adstrictoriam virtutem acacia & lycium combusta exserunt, ita contra ea ex asphalto & styrace durarum partium emollitionem, ex aloë, croco, & ungue odorato vaporum sanguinis apertionem, ex mercurio vero salivationem expectandam esse, ex ipso effectu percipimus, & crebra observatione notatum legimus.

Patebit autem diversitas suffituum longe clarius, si per potiores corporis affectus transeuntes, tribus verbis indicaverimus, quos fumos singulis multorum temporum experientia aptissimos deprehenderit. Epilepticos suffumigat Galenus gagate, Mesue pœonia, Severinus ☿, dum hujus fumum per cannulam naribus immittit, suadetque haud sine ratione, si quis cranio humano aut alcis ungula in isto morbo uti decreverit, ut igne crematorum effluvia potius, quam scobem aut decoctum adhibeat. Ad gravedinem commendat Ægineta lacinijs combustas, Severinus semen peti & sinapi.

Et quamvis alias fumus oculis insensus habeatur, neququam tamen in nonnullis eorum affectibus Mesuen, Avicennam, Celsum, A. Bened. Rondeletium, Heurnium, Platerumque ab eo abstinere, sed ad suffusionem hepar sylvestris capræ, ad maculas sanguineas sulphur, ad ulcera thus adolere invenimus. Tinnitum aurium tollit suffitus ex milio, gravem vero auditum fumus caryophyllorum, ligni aloës, bacc. laur. rosarum, juniperi, rosmarini, majoranæ; estque non contemnenda observatio Strigellii, quam S. Pauli in margine herbarii Theodori consignatam reperit, a fumo farinæ fabarum combustarum, in surdæ rusticæ aurem per infundibulum deducto, huic audiendi facultatem rediisse. Nasi ulcera sanantur effluviis plibus, quæ candela a cinnabari rubens, inque clauso conclavi accensa spargit, testibus Rondeletio & Nic. Pisone. Hæmorrhagiam vero eius sistunt alcalici pariter ac acidi fumi; illi quidem, dum sanguis effluens, putamine ovi exceptus, prunis imponitur, aut in ferri candentem laminam stillat, aut pili albi a ventre leporis comburuntur; hi vero, si ☿ accensi acidum gas ad nasum penetrat.

Oris vitia sem. peti & cera, gutturis album græcum, tonsillarum succinum corrigit. Dentium dolorem Mesue mitigat ☉ in ignem sparso, Aurélianus bitumine & myrrha, Galenus semine alterci: suntque non pauci, qui confidenter asserunt, hyoscyami granula accensa peculiari virtute vermes, radices dentium rodentes, elicere, ut cum saliva ex ore aperto profluant. Hirudines, in fauces cum aqua improvide admissas, evocant Avicenna & Albucasis fumo asæ fetidæ, Avenzoar marrubii. Ex commendatione Mesuæ & Dioscoridis atque Galeni prodest bronchocelæ nidor spongiæ, asthmatis ferulæ, orthopnœæ aristolochiæ clematidis, ☿, ladani, ligni aloës, arboris persicæ, funisque nautici. Tussi veteri non solum

solum sandaraca remedio est apud Dioscoridem, sed hodie etiam, verbis S. Pauli, apud Britannos endemia tussi laborantes, loco tabaci fumosi, aridis tussilaginis foliis fumigantur, fumum per tubulum ex iis incensis ore exugendo. Novimusque eodem artificio nonnullos adversus rebelle sanguinis sputum fumo, ex herb. veron. pulmon. macul. à mj. rorell. fanic. à pj. fl. hyper. salv. à piß. rosar. rubr. pj. sant. citri. 3ij. sem. anis. foenic. à 3iß. gr. m. concil. cum fructu usus fuisse.

Quantum odor ☉is, & a ☉eis corporibus per Δ expulsus, phthificos juvet, peregrinationes eorum ad exhalationes Puteolanas Vulcaniamque regiam probant. Estque secundum Willisii pharmac. rat. part. 2. c. 6 pag. 54. *Communis observatio, regiones illas, sive in Anglia, sive in Belgio, ubi cespites ignes nutriuntur, & odorem valde sulphureum spirant, talem rarius infestare; quinimo loca ista phthisi obnoxia, aut ea laborantibus, maxime salubria & non raro sanativa existere. Cui accedit, quod suffimigium ex ☉ & arsenico, quod ☉e copioso referunt est, pro curandis pulmonum ulceribus pene deploratis, remedium licet ultimum, efficacissimum tamen habetur.* Præscribit itaque Willisius pag. 70. pro suffitu, præter pulverem ex resinosis, olibano, succino, benzoe, gum. guajac. bals. Tolutan &c. compositum, etiam trochiscos, quos sulphur atque auripigmentum ingrediuntur; imo cum Empirici sæpenumero fumum auripigmenti, in tubulo accensi, instar nicotianæ hauriendum ordinant, & apud vulgus in praxi sit, pannum, auripigmento picum, in frustula minutum confisum in fistula accendere, Willisius non solum non improbat istum morem, sed etiam bono cum successu adhiberi testatur.

Lipothymia correptos filo sulphurato, hystericasque eodem & plumis perdiscis, aut ala anseris, asa foetida item & asphalto accensis suscitari, notissimum est. Ventrem solvit nicotianæ fumus, ano inflatus: ad tenesum ex thure & colophonía remedium petitur. Sin vero anus sedem mutat, Hildanus mastichen, thus atque styracem sub eo cremare jubet. Dolorem hæmorrhoidum placant nonnulli suffitu fol. thapsi & scrophular. Arn. Villanov. laudat aloë, Riverius ☉, reliquisque omnibus id efficacius esse scribit.

Ad uteri obstructions, dolores & ulcera terebinthina, galbanum & thus igni concredenda sunt. Quomodo menses emanentes, & quibus cum cautelis revocari queant, Sennertus tradit, *Prax. lib. 4. part. 2. Sect. 2. c. 3. p. 157.* suntque secundum ipsum, ingredientia fumigationis talia, *que officina vasorum aperiant, & humores crassos attenuant, aristolochia scil. ruta, sabina, schœnanthum, nigella, calamintha, calamus aromaticus &c. de quibus omnibus ac singulis constat, quanta, in quacunque forma adhibita, virtute emmenagoga polleant.* Si sterilitas ex laxitate uteri dependet, tunc is firmatur, si, suadente eodem Sennerto, *loc. p. 289.* fumus mastichis, thuris, aluminis, balaustior, lign. aloës, bacc. laur. & nucis cupress.

per metrenchyten ejus collo immititur. Dolores partus præcoces, qui spurii vocantur, & satis crebro impericiis obstetricibus imponunt, ut imprudente hortatu gravidas ad intempestivos pariendi conatus adigant, duplicisque funeris auctores fiant, sæpenumero dispelluntur sola *diva Julia*, ex grosso pulvere pellicularum cepæ, croci & anthophyllorum, in candentem laterem projecto, ad foeminae stantis ventrem assurgente. Parili ratione non tantum cassia & nardus, sabinaque cum artemisia & dictamno accensa secundinas, segnius prodeuntes, eliciunt, sed idem quoque scopas, in fœtida fini palude semi prutrefactas, præstitisse meminimus.

Si artus dolent, sabinae & filicis feminis fumus egregius est; ad clavos vero is, qui ex tithymalo venit; sicut ad vulnera venenata gagatinus, ad phthiriasin autem, quem staphisagria halat, adhibetur. *Alas*, sunt verba Hünervolfii, Eph. Germ. dec. 2. An. 7. obs. 91. p. 152. *fascino resistere dicitur suffitus ex felle serpentis aut canis nigri. Ex fascino pedis tumorem, dolorem, ambulandi impotentiam, matrona baud ignobilis Arnstadii sanavit in continenti suffimigio ex abscissa pallii particulari. Filia civis & siguli nostratis incantata, repentinum periodicum dolorem dorsi & anxietatem, nulli pharmaco diu cedentem, abegit a se statim suffitu frusti tunica scissa incantatricis incusate. Miles suffitum particulis chirobecarum, a compae præsigat ore surreptis, manum dextram incurvatam, & exemplo fascinum evanuit.*

Sufficiant hæcce ad evincendam *Mercatura fumi honestatem*, quam demonstrare suscepimus. Restant equidem adhuc plurima corpora fumifera recensenda, inter quæ *Camphora* primum locum sibi vendicat, dum quanta quanta est, in fumum magnæ efficacæ, sine ulla fuliginis aut capitis mortui nota, resolvi potest; sed nolo manum in alienam messem mittere, cum erudita dissertatio clarissimi & dignissimi Medicorum honorum Candidati

M. IO. ADOLPHI VVEDELII, JENENSIS,


utramque paginam absolvat: ut adeo sine ullis ambagibus ad vitæ ejus studiorumque historiam transire liceat.

Quamvis autem nec atrium plenum fumosis imaginibus faciat nobilem, & genus & proavos & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra putare queamus, in summæ tamen felicitatis partem merito Noster accipit, non solum genere famæque clarissimis Parentibus natum esse, sed etiam in celeberrimo hocce Musarum emporio patriam invenisse. Contigit autem ipsi natalis dies 17. Aug. A.O.R. MDCLXXV. Pater est incomparabilis Medicus & Polyhistor D. GEORGIVS WOLFFGANGVS WEDELIVS, Hæred. in Swartza, Com. Pal. Cæs. Theoret. PP. famigeratissimus, Con-

Consiliarius & Archiater Saxon. meritisissimus. Mater fuit CHRISTINA SABINA, Illustris ELIAE HENRICI AVE MANNI, J. C. Consiliarii quondam intimi Ifenacensis & Regiminis Ducalis Praesidis excellentissimi, filia, Matrona supra laudes sui sexus posita, *ὄν ἐν ἀρίστοις*

Nobilissimorum horum Parentum prima cura fuit, ut fundamentis veræ religionis animus filii probe imbueretur, secunda, ut artibus liberalibus a teneris unguiculis assuesceret. Hinc traditus Praeceptoribus privatis, cum ingenio ad dicendum capacissimo praeditus esset, & insuper sponte euntem domestica virtutum exempla, innataque gloriae cupido perpetuo incitarent, adeo laudabiles in pietatis capitibus bonarumque literarum *προπαιδείωσιν* progressus fecit, ut anno aetatis XIII. Clarissimorum Gymnasii Martisburgensis Collegarum, CHRISTOPHORI CELLARII, insignis Philologi & Rectoris prudentissimi, nunc vero in Academia Hallensi Histor. & Eloqu. P.P. celeberrimi, ut & M. JO. GEORG. LEMERI, Conrectoris eximie meriti, fidelissimæ informationi concrederetur. Ex quorum ore & attenta bonorum librorum lectione intra quadriennium tantum, in humaniori literatur a thesaurum sibi comparavit, ut haecenus in Philosophicis atque Medicis disciplinis, rite & decenter pertractandis, plenissimos istius fructus perceperit. Anno M DC VIII C idoneus sublimioribus doctrinis habitus, d. 10. Maji a Magnifico Academiae Rectore, maximi nominis JACO. D. CHRISTIANO WILDVOGELIO, Consiliario Saxovinariensi aulico & Antecessore excellentissimo, in studiosorum ordinem receptus est.

Ex eo tempore noster, novi vitæ generis dignitatem secum bene reputans, cum animadverteret, ad acquirendum *ἀπὸ ἰσοθῆς* titulum (quem cum invadenda gloria nobilissimum Parentem tueri, universus doctorum orbis, omnesque ab eo editorum voluminum lineæ testantur) non aliam viam, quam per Philosophiæ indivulsam cum Medicina combinationem patere; labore improbo maxime reverendi atque excellentissimi D. JO. ANDR. SCHMIDTI, apud nos Log. & Metaph. jam vero apud Helmstadienses Theologiae P.P. primarii, potiores Philosophiæ partes explicantis, ut & nobiliss. atque excellentissimi GEORGII ALBERTI HAMBERGERI, Mathes. P.P. ordin. celeberrimi, Physicam & Mathematicam tradentis, lectiones frequentavit. In Medicis abunde equidem Nostro sufficere potuisset magnifici Parentis institutio, non publica solum & privata, sed privatissima quoque, ex continua conversatione nata, dum ipsi *ἀπόστασιν* licuit ubique judiciousæ regularum ad exempla applicationi interesse. Sed noluit tamen, quamquam alienæ opis minime indigens, ullam discendi occasionem pratermittere. Hinc non tantum magnificos atque excellentissimos viros, D. RUDOLPHUM WILHELMUM CRAVSIUM, Hære J. in Mellingen, Prax. & Chim. P.P. Societ. Leo.



Leopold. Collegam primarium, Facultatis nostræ Seniore[m] gravissimum, publice docentem, & D. GÜNTHERVM CHRISTOPHORVM SCHELHAMMERVM, jam, apud Kilonienses P.P. primarium, Archiatrum Gottorpiensem & Societ. Leopold. Adjunctum meritisimum, domi atque publice Anatomiam, Chirurgiam & Botanicam explicantem auscultavit; sed Lipsiæ etiam ultra annum commoratus, famigeratissimorum atque excellentissimorum Doct[or]um, BOHNII, RIVINI atque PAULI, hujus quidem anatomicis, illius botanicis & physiologicis, istius vero theoreticis & practicis acroasibus, cum ingente eruditionis suæ incremento interfuit: cui cum ex meis qq. repetitis hominum brutorumque dissectionibus & botanicis demonstrationibus aliquid accessisse profiteatur, qualiscunque meæ oppellæ hic loci mentionem facere voluimus.

Neque vero destituit rarissimam istam Candidati nostri diligentiam Divini numinis gratia, quin hac, tanquam benigno sidere afflatus, turgentibus velis per ingens *ἡλιγοσσοφίας* pelagus provchi, & absoluto quinquennio latus naviculam ad portum appellere potuerit. Nam Lipsia redeuntem non solum inclyta Philosophica Facultas nuper Laurea Magisteriali solenniter exornavit, sed nostrum etiam Collegium in numerum Medicinæ Candidatorum scripsit, postquam tam per consuetæ examina, quam publica specimina se utriusque tituli dignissimum esse solide probavit. Quinque enim publicam disputantium cathedram conscendit, compluriesque opponentium subsellia occupavit. Prima & secunda vice, sub nobilissimi Parentis præsidio in *Aphorismis Aphorismorum sectionem quintam*, & dissertationem de *Fermentis cbimicis* defendit; tertia vice de *Tinctura martis helleborata*, præside honoratissimo suo Fratre, viro nobilissimo atque experientissimo, D. ERNESTO HEINRICO WEBELIO, Physico Provinc. & Poliatro meritisimum felicissimoque; quarta, de *Igne*, sub moderamine viri nobilissimi atque excellentissimi CASPARIS POSNERI, Physices P.P. famigeratissimi, hodie Rectoris Academiæ Magnifici; quinta, sub clypeo magnif. & excellentiss. Bohnii, de *Symptomate urgente* disputavit, ubique cum applausu & gratulatione audientium. Præstitit itaque abundantissime præstandis, superest, ut denuo futuro d. 4. Augusti sub umbone magnifici Parentis, de CAMPHORA, pro *Licentia* summos in medicina honores capefendi disputet: cui solenni panegyri ut Magnif. Rector, Magnif. DESIGNATUS RECTOR, Proceres Academiæ, Hospites omnium ordinum honoratissimi, lectissimaque studioforum Corona adesse velint, observanter & amice peto.

P.P. Jenæ, d. 1. Aug. MDC. III. sub sigillo Facultatis,

L. S.

J697
S632P